

34

I. N. D. P. F. A. S. S.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

**COMMERCIIS**  
**VETERUM**  
**ROSSORUM,**

---

QUAM  
*Consens. Ampliff. Facultat. Philosophicæ In Regia A-*  
*cademia Aboënsi*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

*Publico examini modeste subjicit*

JOHANNES GJÖS,

ROSSIA-WIBURGENSIS.

In Auditorio Superiori Die VIII. Decembris  
Anni R. S. MDCCLXX.

H. P. M. C.

---

A B O Æ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,*

**D: NO ISAACO ROSS,**

*L. L. O. O. & Græcæ in Regia Academ. Aboënsi*  
**PROFESSORI Ordinario,**

*PATRONO MAGNO.*

**N**e mireris, *Vir Maxime Reverende*, quod qui totus in *Tuo* sum  
are, lætissimam hanc arripiam occasionem, devotissimum, quo  
*Te* prosequor, affectum publice testificandi. Etenim dum ad Scho-  
lam Trivalem, quæ Helsingforsis est, & cui *Tu, Vir Maxime Reve-*  
*rende*, ante plura lustra præfectus eras, *Pater* meus studiorum causâ  
commorabatur, *Tu* tenerrimam ipsius gessisti curam, omnemque in  
id adhibuisti operam, ut & oruditione auctior, & virtutibus reddere-  
tur ornatio. *Tu* tantis illum cumulasti beneficiis, ut jure dubitem,  
an a parente in filium vel plura vel majora proficisci potuissent. Ho-  
rum prout ipse gratissimam & quoad vixerit, nunquam intermorituram pe-  
nes se conservat memoriam; ita & mihi a teneris, ut ajunt, ungvicu-  
lis eundem instillavis in *Te* amoris sensum, qui annis & iis, quæ  
postmodum accesserunt, *Tuis* in me beneficiis firmatus, in profundam  
illam abiit venerationem, qua haud secus ego, quam *Pater* meus,  
*Te, Vir Maxime Reverende*, communis velut parentis loco suspicimus.  
Hujus autem, quo ambo *Te* colimus, venerabundi affectus ut aliquod  
quantumcumque leve exstaret documentum, pagellas has, *Nominè*  
*Tuo Maxime Reverendo* consecratas esse volui. Humillimus etjam rogo,  
velis hoc intimæ meæ gratitudinis pignus serena, uti soles, adspi-  
cere fronte, eoque maximis *Tuis* in Parentem meum meque ipsam  
meritis ultimum quasi addere incrementum. Interim pro perenni *Tuo ac Tuis*  
Familia flore & felicitate vota fundere flagrantissima, nunquam de-  
stitam permanens

**Maxime Reverendi NOMINIS TUI**

*Clientis devotissimus*  
**JOHANNES GJÖS.**

*VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*

**D: NO MAG. D A V I D I  
S E N S E R,**

Animarum, quæ DEO in Lovisa, Pyttis, Elimæ & Anjala colliguntur, Pastori & Prapósito vigilantissimo, Dignissimo, nec non Scholæ Trivialis, quæ Lovisæ floret, Inspectori adcuratissimo,

*AVI MATERNI LOCO JUGITER COLENDO, SUSPICIENDO.*

**E**ximius ille favor, quo Tu, Ave Propensissime, omnes litterarum cultores, imprimis autem illos, quos & DEUS & natura cognationis vinculo *Tecum* conjunxit, tutari ac fovere soles, efficit, ut decus quoddam atque ornamentum operi huic Academico quaesiturus Nomen *Tuum* Percelebre fronti ejusdem præfigere sustinuerim. Quæ & in Parentes meos dilectissimos, & in me extare voluisti amoris & benevolentis *Tuæ* documenta, tot tantaque sunt, ut dum eadem grata mente revolvo, dubius omnino hæream, utrum eadem debitis extollere laudibus, an pio silentio intra imos pectoris recessus abscondere magis conveniat. Prius quidem optaret grata, qualis mea est, mens, ut digne exsequi posset; ast cum verëar, ne incomta oratione plus umbræ quam lucis illis adfundam, posterius eligere cogor, & meritum *Tuorum* in me & paternam domum magnitudinem, quam celebrare nequeo, venerabundo premam silentio. Hinc cum aliud non suppetat, quo devotissimum meum in *Te* animum testatum reddere queam, opus hoc qualecunque Academicum qua decet observantia *Tibi* offerendum putavi. Excipias rogo, Ave Honoratissime, levidentis hoc gratitudinis meæ pignus eodem, quo me ipsum semper amplexus, es favore. Meum vicissim erit, vota pro *Tua* familiaeque *Tuæ* honoratissimæ felicitate ad DEUM O. M. fundere calidissima, ut ingravescens jam *Tua* ætas quasi juvenescat rursus, & in annos bene multos prorogata juvunde transigatur. Ita vovet ad supremum vitæ halitum permanens

**Admodum Reverendi NOMINIS TUI**

*Nepos & cultor humillimus*

**JOHANNES GJÖS.**



*VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*

# D: NO ANDREÆ GJÓS,

Ecclesiæ, quæ DEO in Joutzeno colligitur, Pastori vigilantissimo, meritissimo, nec non Assessori Consistorii Portus FRIDERICIANI adcuratissimo,

## PARENTI INDULGENTISSIMO.

**S**icut omnium beneficiorum multo maxima jure meritoque habentur, quæ a Parentibus in liberos proficiuntur; ita etiam apud hos vividissima esse solet, saltem esse debet, illorum memoria. Me quod attinet, ut Indulgentissimus in Te mihi obtigit Pater; ita & nihil me hucusque magis anxium tenuit, quam quod nullam hætenus nactus sim ansam, filialem meam in Te pietatem publice significandi. Tibi post DEUM, Pater Carissime, debeo, quod lucis hujus fruam usura. Tu teneram meam ætatem iis studiis, quibus puerilis ætas impertiri solet, mature imbuendam diligenter curasti; Tu me paullo proveciorem ad publica Musarum delubra & ante annum, & quod excurrit, ad clarissimam hæc honestissimarum artium atque omnis eruditionis mercaturam misisti, meque opibus Tuis, quibus nec ipse abundas, adeo liberaliter sublevasti, ut Tibi ipsi potius, quam mihi, deesse sapius volueris. Pro tantis autem aliisque immortalibus Paterni Tui in me affectus documentis, quod rependam, non habeo aliud, quam ut, quod & officium alias postulat, devotissima mente Te ad cineres usque prosequi pergam. Accipias rogo, Pater Dilectissime, munusculum hoc qualecunque Chartaceum, testem venerabundæ ac gratissimæ mentis meæ, nec aliare quam filii offerentis pietate commendabile. Quam si dederis veniam, ego vicissim summum Numen precibus defatigare nunquam intermittam, ut una cum Matre Dulcissima ad ultimos usque, qui humanæ vitæ contingere possunt, annos salvis sospesque vivas & vigeas, in Ecclesiæ, cujus fidelem geris curam, emolumentum, nostrumque, qui Tui sumus, tutamen ac solatium certissimum, exoptatissimum. Ero dum vixero

## PARENTIS INDULGENTISSIMI

*Filius obedientissimus*  
JOHANNES GJÓS.

*VIRO Præclarissimo atque Percelebri,*

**D: no Mag. JOH. STRAHLMAN,**

RECTORI Scholæ Cæs. Cathed. Wiburgens. dexterrimo,  
Consistorii que ibidem Assessori gravissimo.

*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,*

**D: no Mag. ABRAH. LAVONIO Fil.**

Animarum, quæ DEO in Nyslott & Saminge colliguntur,  
Vice Pastori dignissimo.

*Præceptoribus ut ante hac fidelissimis, ita nunc  
Fautoribus Propensissimis.*

**F**ortunæ fuit vitium, non animi, beneficiorum Vestrorum immemoris, quod ante hunc diem palam prædicare mihi non licuerit, quantum Vobis, Fautores Propensissimi, debeam. Vos consiliis, labore, multisque vigiliis in id sedulo incubuistis, ut juventutem meam ad doctrinæ & virtutis haud fucatæ exemplar formaretis: tanta fuit Vestra in me erudiendo diligentia, tantus ardor, ut factis intelligerem, ex nulla re alia Vos plus percepturos fuisse gaudii, quam si multiplicem illam, qua ipsi inclarescitis, variæ eruditionis copiam, unico velut actu in me transfundere, per naturam rerum vobis licuisset. Hæc omnia dum æstuanti præ gratitudine animo recordor, non possum non, quin opellam hanc meam, quamvis exilem, Vobis sacram esse jubeam, cum voto omnigenæ felicitatis permanurus

**Præclarissimorum Nominum Vestrorum**

*Cultor humillimus*

**JOHANNES GJÖS.**

Consistorii Notarien i Wiborg,

*Välårevördige och Hög lärde,*

Herr Mag. DAVID SANKK,

Landt-Commisarien i Kexholms Södra Fögderi,

*Välådel och Högackad,*

Herr GUSTAV SANKK,

*Mine Högårade Herrar MORBRÖDER.*

**D**et är med et besynnerligt nöje, som jag nyttjar närvarande tillfälle, at offentligen förklara den oskrymtade vördnad och högackning, som jag för Eder, Mine Herrar Morbröder, alltid hyft, och härintill i mitt inre förborgat. Edra välgjärningar emot mig äro flere och större, än at de af mig värdigt kunna beskrivas. I hafven biträdt mig med Edra mogna råd, och med väreckelig hjelp understödt mina behof. I hafven haft all möda ospard, at befrämja min välsärd, och med et ömt deltagande i alt det mig kunnat angå lättat mitt bekymmer. I hvad förbindelse jag hos Eder därigenom blifvit försatt, kunnen i selsve lätteligen finna. Tacksamhet och återtjenster äro de plikter jag är Eder därefter skyldig: och då mitt sinne öfverflödar af den förra, oroar det mig at ej kunna åstadkomma de senare. Eder godhet har väl icke väntat eller fordrat någon vedergållning: men därigenom har min förbindelse ej uphört. Tagn imedlertid viljan för värcket och tillåten mig, at jag till et ringa prof af min vördnad tilägnar Eder detta mitt Academiska arbete. Uptagen det med vanlig gunst och välvilja, och förvaren för mig jämväl här-efter den ynnestfulla böijelse, hvaraf jag härtills fått säga mig. Eder och Edra kära onhörigas beständiga välgång skal alltid blifva et angenämt föremål för mina trognaste önskingar: och at så förnimma den samma skal alltid utgöra et ämne för min uprickigaste glädje. Jag framhårdar med vördnad at vara

*Mine Högårade Herrar MORBRÖDERS*

Ödmjukaste Systerfon och tjänare  
JOHANNES GJÖS.





§. I.

**S**icut ex eadem stirpe suam originem repetit totum genus humanum, atque omnes adeo homines consanguinitatis quodam vinculo constringuntur; ita etiam ut hujus cognationis perpetuo memores essent, nec magna illa communitas corrueret, quæ ex beneficiis ultro citroque datis & acceptis conficitur, a Supremo Numine sapienter fuit constitutum, ut ea, quibus humana indiget vita, per cunctas hujus mundi partes, & per gentes atque nationes omnes divideret. Quæ quidem quum verissima esse non tantum in diversis provinciis, sed etiam in unius diversis tractibus experiamur, quumque recte observaverint rei Rusticæ Scriptores, neque in pingui terra recte omnia feri, neque in macra nihil, aliaque in montoso, alia in plano, alia in aprico, alia in umbroso agro feliciter provenire; consequens sane est, ut unicuique regioni permulta & desint & supersint, quibus inter se communicatis nihil, quod ad necessaria vitæ subsidia pertinet, ulli deesse potest. Non tamen res tantum homines debent communicare cum hominibus, verum etiam operas. Quotusquisque enim est mortalium, qui possit omnia;

omnia? Et si vel maxime nonnulli reperirentur, quibus ingenium omne in digitos abiisse dixeris; attamen nec tantum otii singulis futurum esset, ut sufficerent tot laboribus illiberalibus, & plerosque ipsa dignitas vitæque conditio a quibusdam operis avocaret. Indiget ergo alter alterius operis, nihilque certius est, quam manum a manu lavari, adeoque commercia in operarum non minus quam rerum communicatione consistere. Mercaturæ proinde & commerciorum beneficium ingens & maximum est, quippe quæ parcimoniam veluti telluris, non ubique in omnia æque feracis, supplet & simul efficiunt, tum ut quod genitum est usquam, apud omnes natum videatur, tum quoque, ut homines sibi ignotis suo inserviant labore, & aliena promoveant commoda, dum suis tantum invigilare videntur. Quasunque igitur adeamus gentes, deprehendimus partim quod commercia toties, quoties facultates permiserint, jugiter exercuerint, partim etiam quod horum exercitio & mansuetiores & opulentiores factæ fuerint. Quocirca non quidem diffitemur, quin veterum plerorumque commercia admodum rudia fuerint, vel quod ex eisdem exiguum perceperint lucrum, propterea tamen minime fas est, ut eadem silentio prætermittamus. Ex amplissimo autem hoc argumento, particulam quandam impræsentiarum seligemus, de commerciis veterum Rostorum acturi. Sicut autem majores nostri, ut ferox & Mavorius fuit priorum sæculorum genius, continuis fere impliciti fuerunt bellis; ita commercia eorum ista tempestate perquam tenuia fuerunt, saltem parciore eorum mentio in annalibus, qui ad nostram pervenerunt memoriam, habetur. Interim tamen quum amore in patriam ducti Specilegium quoddam observationum, huc pertinentium, in perlustratione veterum monumentorum collegimus, ab officio nostro haud alienam duximus, hæc colle-



collectanea Speciminis Academici loco in publicam emittere lucem, quæ ut B. L. æqui bonique consulat, qua par est observantia & verborum honore oramus atque contendimus.

§. II.

Antequam argumento explicando nos accingimus, in ipso limine illis erit occurrendum, qui sibi forte persuadent, veteres Russos, ad imitationem aliarum gentium nulla exercuisse commercia; propterea quod incertum esset, an qui ad ipsorum appellerent littora, vel commerciorum causa, vel irruptionis æstro perciti accederent. Præterea vitæ commodioris præsidia ignorantes et sua se simplicitate involventes, a commerciis et rebus omnibus ad luxum comparatis abstinuisse videntur. Profecto quæ generatim de Scythis JUSTINUS & de Sarmatis POMPONIUS MELA, quo utroque nomine veteres Rossia incolas comprehensos fuisse constat, perhibent, eo redeunt, ut commercia fere ignorarent, squalidam & a cultu, quem illa solent generare, alienam vitam egerint. Ita enim ille de Scythis: *Hominibus inter se nulli fines; neque enim agrum exercent, neque domus illis ulla aut tectum aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus & per incultas solitudines errare solitis. Aurum & argentum non perinde ut reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanae iis usus ac vestium ignotus, & quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis aut murinis non utuntur (a).* Nec hic meliorem fuisse Sarmatarum conditionem perhibet (b). Ita vero viventibus Scythis & Sarmatis, omniaque quæ ad luxum & voluptatem pertinent, ignorantibus, quid quæso opus fuisset commerciis? Quid mercatoribus & propolis? Quid foro commu-

ni? Enimvero quamvis demus, veteres Rossos diu nulla cum exteris exercuisse commercia, attamen cum necessitas ipsos, quantumvis vagabundos, comitaretur, probabile admodum est, quod res primum inter se permutaverint, & cum hujus commercii utilitatem perspexissent, animum deinceps adplicuerint ad commercia cum exteris populis instituenda; quod etiam factum esse, mox ostendemus. Ceterum Veteres Rossi usum nummorum diu ignorarunt, ante monetam enim proboscide & auriculis aspreolorum, aliorumque animalium, quorum pelles ad nos adferuntur, utebantur, eisque vitæ necessaria, ceu pecunia, emebant (a); adeoque quamvis Rossi inter omnes fere populos, quos sol adspicit, sint admodum habiles exercendæ mercaturæ, commercia tamen apud eos valde olim florere non potuerunt.

---

(a) Vid. JUSTINI Histor. Libr. II. Cap. II. (b) Vid. POM-  
PON. MELÆ Libr. III. de Sit. Orbis Cap. IV. (c) Vid. HERBER-  
STEINI Comment. Rer. Moschovit. p. m. 42.

### §. III.

Quoniam commercia plerumque exercentur cum mercibus, quæ superflue habentur, ordinis ratio postulat, ut nunc dispiciamus, an tanta sit soli Rossici fertilitas atque ubertas, ut aliis divendere potuerint merces, quæ ultra vitæ necessitatem apud illos proveniunt. Quocirca statim observamus, quod imperium Rossicum tam in longitudinem quam in latitudinem amplissime pateat, adeo ut pleraque cœli climata ambitu suo comprehendat; quare orbis in orbe salutari potest. Hinc fit, ut Flora & Ceres in campis nostris exsultent, & vegetabilia omnis generis, si non in uno attamen in alio loco late

late proveniant & tantum non sponte nascentia haberi possint. Præterea amplissimi terrarum tractus sunt fluvii & lacubus oportune distincti, qui sicut primis populis in Septemtrioem migrantibus idonei fuerunt ductores; ita omni tempore & Rossis vehicula præbuerunt, quæ inservirent mercibus ex una provincia in alias commodè transferendis, & insuper accolæ ex iisdem quotidie colligunt insignem piscium exquisitissimorum ac varii generis copiam. Fauna etiam in sylvis & nemoribus nostris inter variorum animalium agmina sese præcipue jactitat, quæ non solum in sustentationem sapidissimas præbent carnes, verum etiam in amictum pretiosissimas pelles, a Purpuratis etiam per Europam magno studio quæsitæ (a). Denique non montes nostri steriles sunt, sed tam in visceribus suis continent quam sub dio ostendunt metalla & mineralia, varii generis eademque optimæ notæ. Ut enim alia silentio prætereamus, in mari albo haud ita pridem inventa fuit rupes insignis magnitudinis, cujus crusta argento puro tota fuit obducta (b). Loquimur de naturalibus terræ Rossicæ muneribus, quæ talia sunt, ut in antiquissima etiam quadrent tempora. Si præterea ad specialia velut per transennam descendere velimus, circumspeditionem nostram fugere nequit fertilitas Ducatus Rhezanensis, quæ tanta esse perhibetur, ut fidem fere superet. Si enim *HERBERSTEINIUM* audiamus: *Hæc provincia ceteris omnibus Moschoviæ provinciis fertilior est, in qua, uti ajunt, singula grana frumenti binas quandoque plures spicas proferunt, quarum culmi tam dense accrescunt, ut nec equi facile transire, nec coturnices inde evolare possint. Mellis, piscium, avium, ferarumque ibi magna copia, arborumque fructus longe Moschoviæ fractibus sunt nobiliores* (c). Quibus *PETREJUS* addit, quod agri nunquam stercorentur, & tamen colonorum labores opima messe quotannis com-



pensent (d). Huic provinciae fertilitate parum cedunt *Novogardensis* (e), *Jaroslaviensis*, *Rostoviensis*, *Peraslaviensis*, *Susdaliensis* & *Wolodimiriensis* (f). Ut vero fertilitas terrarum Rossicarum tanto luculentius constet, juvat adduxisse verba *Celeberr. BUSCINGII*: Rußland hat eine menge brauchbare Waaren, die es an die Ausländer überlassen kann, und führet weit mehr aus als ein, zieht also jährlich ansehnlichen Geldsummen von den Ausländern an sich. Diese landes waaren sind das theils kostbare, theils nutzbare Pelzwerk von Zobeln, kreutz-blauen- und weissen Füchsen, Hermelinen, Vilfräsen, Bibern, Luchsen, Eichhörnern, Bären, Wölfen, Mardern, Fisch-Ottern, weissen Hasen &c. Ferner Juften, Kupfer, Eisen, Marienglas, Talch, Lister, Wachs, Honig, Pota sche, Weidasche, Salpetter, Teer, Leinöhl, Hartz, Pech, Fischtrahn, Caviar, Stockfisch, Gefaltzene Fische, Bibergeil, Haussenblasen, lebendiges Vieh, gesalzenes Fleisch, Getreide, Hanf, Flachs, Leinsamen, schmale und grobe Leinwand, grobes Tischzeug, Segeltuch, Callamank, Matten, Sibirischer Muscus, Mamonts-knochen, Wahlroszähne, Walrosriemen, Seife, Federn Schweinsborsten: imgleichen Holz, Ukrainischer blät- tertabak, u. s. w. (g) Cui terrarum ubertati si addamus, quod Rossi tenui ac parabili victu & amictu sint contenti, haud mirandum, quod multa superflua ceteris vendant.

§. IV.

(a) Vid. *Anglorum navigationem ad Moschovitas, quae reperitur inter varios rerum Moschovitarum Scriptores* p. m. 151. Addi Julii potest PAULI JOVIANOVICOMENSIS *Libri de legatione Moschovitarum* p. m. 126. (b) Confr. *Memoires des Samojeudes*. (c) Vid. *Ejusdem Commentarium Rerum Moschoviticarum* p. m. 57. (d) Vid. *Ejusdem Chronicon Moschoviticum* L. I. p. m. 37. (e) Vid. HERBERSTEINII *Libri* cit. p. 47. (f) Confr. ALEXANDRIGUAGNINI, *Veronensis, descriptionem omnium regionum Moschoviae Monarchae subjectarum* p. m. 158 & 166. (g) Vid. *Ejusdem neue Erdbeschreibung*. I. Theil. Vol. I. p. 626.

## §. IV.

Enimvero non sufficit, ut terra quædam muneribus naturæ abundet, sed insuper requiritur, ut hæc ex uno loco in alium, ubi major eorum est caritas vel etiam penuria, commode & sine magnis impensis transferantur. Huic negotio inserviunt imprimis navigationes tam internæ, quæ per lacus & flumina fiunt, quam externæ, quæ per Maria suscipiuntur. Utroque in casu imperio Rossico optime consuluit provida Summi Numinis cura. Sicut enim in corpore animali sanguis per venas & arterias aptissime dispositas ad cor propellitur & ab eodem vicissim repellitur; ita innumera flumina, quibus interdistincta est Rossia, sunt veluti venæ terrarum tractuum, per quas singularum provinciarum superflui proventus tam naturales quam industriales ad majores Imperii urbes deferuntur, & ab his ad ceteras nationes exportantur, non sine insigni tam eminentium quam vendentium commodo & lucro. Nec minus rhedis tempore hiemali merces ex uno loco in destinatum alium facile & sine magno sumtu transvehi possunt; quum equi Rossorum sint & robusti, & oneribus trahendis adveti. Præterea partes Oceani ab omnibus fere plagis Rossiam alluunt, in quas flumina modo memorata suas exonerant undas. Ad Septemtrionem enim, ceu notum est, occurrit mare Album, quod ab antiquissimis retro temporibus naves exterorum subierunt, qui nec latratibus Charybdidis Norvagicæ nec monticulis glacialibus territi sunt. Ab Occidentali plaga est sinus Fennicus & mare Balticum, ex quibus in Oceanum occidentalem patet aditus. A meridie est amplissimus fluvius Wolga, qui cum Ponto Euxino suas miscet undas. Nec ab orientali plaga deest pars maris, quamvis commerciis ipsa Europæis minus sit frequens.

(a) Hæc



(*a*) Hæc omnia ad oculum patent, si consulantur accuratissimæ ac nitidissimæ mappæ Geographicæ, quæ Petropoli haud ita pridem prodierunt.

§. V.

Sicut urbs quælibet est velut centrum, in quo conveniunt homines ex tota circumjacente regione, tum ut merces sibi vel superfluas vel saltem minus necessarias divendant, tum ut alias sibi vicissim proficuas a mercatoribus comparent; ita deprehendimus, quod urbes & oppida per Imperium Rossicum, non minus in securitatem civium, quam ad promovenda commercia fuerint constituta. Hæc inter olim eminebat *ALDEGOBURGUM*, in eo, uti verisimile est, loco positum, ubi lacus Ladoga in fluvium Nævam se exonerat. Fuit autem hæc urbs Metropolis Imperatorum Rossicorum, ad quam quum ex toto Septentrione sese conferrent tam Principes, quam alii præcipuæ dignationis viri (*a*), probabile admodum est, quod per horum splendidam vivendi rationem introductus sit luxus, quo caput tollente commercia etjam fervere solent. Ad borealem imperii partem est *HOLMGARDIA* civitas, nunc Cholmogorod communiter appellata (*b*), antiquissimis temporibus ob commercia frequentia valde celebris (*c*); sed cui nunc succum veluti subduxit vicina *Archangelopolis*. Ad occidentalem sunt *Novogardia* & *Plescovia*, quarum illius præsertim commercia adeo late quondam patuerunt, ut fœderi etjam Hanseatico comprehendi meruerit (*d*) Denique ad meridiem est urbs & antiquissima & opulentissima *KIOVIA*, cujus cives suas debuerunt divitias commerciis, quæ cum vicinis gentibus frequentia instituerunt; ut alia oppida silentio nunc prætereamus.

(*a*) De



(a) De hac urbe vide Cel. *PRÆSIDIS* *dissert. II. de Holmgardia p. 31. & seq.* (b) Magnam Novogardiam olim dictam fuisse *Holmgardiam* existimat Cel. *BUSCHING* in *Libr. cit. p. m. 729.* sed vel diversissimus harum urbium situs indicat, diversas omnino has fuisse urbes. (c) Hinc *REUTENFELSIUS* in *libro de rebus Moschoviticis p. 274.* Cholmogorod, inquit, versus Fanum S. Nicolai sita urbs, non agrorum cultu, sed piscium abundantia, & mercatorum commendantium frequentia censetur. (d) Novogardia per fluvium Wolckovium in duas dividitur partes, quarum altera dicitur *Mercatoria*, Russi *Torgovaja Storona* ob frequentiam mercatorum, veteri præsertim ævo heic habitantium, vid. *BUSCHINGI Libr. & loc. cit.* qui etiam docet, quod Societas Hanseatica An. 1276 Novogardiæ Abacum numularium (*Contoir*) instituerit, qui ad incrementum commerciorum Rossicorum haud parum contulit.

§. VI.

Quæ hætenus in medium attulimus momenta, opinionem non satis magnificam nobis præbent commerciorum veterum Rossorum; quamobrem de illorum amplitudine paullo accuratius nunc erit disserendum. Quum igitur, teste *PLINIO* (a), *nihil utilius sit sale & sole*; ita præstantissimum hoc ciborum condimentum in suam patriam transferendum curarunt veteres Rossi. Nimis autem longe aberant salinæ Lusitaniæ & Hispaniæ, quamobrem sal primis temporibus in Rossiam adferrebat ex salifodinis illis, quæ in vicinia Danaprini & Chersonesi Tauricæ fuerunt, idemque postea non solum per Rossiam verum etiam per totam ferme Scythiam Magnam divendebatur (b). Defectum vero illum supplevit, vel potius ignorantiam tam necessariæ mercis, sponte sua in Rossia nascentis, sustulit deinceps Rossorum industria, quæ sal quadruplicis generis detexit, scilicet *sal montanum* in montibus Uralcenzibus: *sal marinum*, quod partim calore solis in littoribus Ponti Euxini paratur, partim coctione prope Cholmogoram conficitur: *Sal lacu-*

*ſere* in regno Aſtracanenſi & in Siberia, & denique *ſal fontanum* in Permia, aliisque regionibus (c). Horum autem proventus non tantus eſt, ut neceſſariis uſibus ſufficiat; quamobrem inſignis ſalis quantitas in Roſſiam quotannis infertur. Præterea quum ex annalibus Scandicis conſtet, quod gentes ex Scandinavia inſigni multitudine ad Græciam proficicentes per Roſſiam continue iverint & redierint (d), atque Hyperborei Principes exemplo DEMARATI Corinthiū inglorium ſibi non duxerint, mercaturam inter piraticam exercere (e); fieri proſecto aliter non potuit, quam ut commercia Roſſorum olim etjam aliquantum floruerint. Interjecto deinde tempore horum mercatura adeo extendebatur, ut Roſſicæ naves celebres Tyri ac Carthaginiſ portus non raro ſubierint, cujus plura ſuperſunt argumenta, quam ut quempiam de hac re dubitare ſinant (f). Quid? Quod circa hoc ævum frequentes fuerint navigationes ex Armenia ac Perſia per fluvios & lacus in Roſſiam verſus Careliam, Nyænam, Nöteburgum ad ipſum uſque Sinum Venedicum (g). Quocirca nec erit reticendum, quod e mari Svethico (*Eiſtra ſalt, Auſturveigin*) per Volgam aliaque flumina in Aſiam, Tattariam, Indiam, Græciam atque Sercklandiam, crebra a Majoribus noſtris itinera fuiſſe ſuſcepta, Hiſtoriæ prodant; adeo ut veteribus perſuafum fuerit, mare aliquod ab Oceano Scythico in mare Caſpium olim influxiſſe (b). Ipſam quoque Alexandriam Ægypti, nobiliſſimam quondam totius mundi commerciorum ſedem, ſubinde appellebant naves Roſſorum mercatoriæ (i). Quum vero probe viderent Roſſorum Principes, nimis longum ac moleſtum eſſe mercatoribus merces Aſiaticas & Africanas ad ipſam imperii metropolin transferre, Magnus Dux & Czar SVENTOSLAVUS ſedem imperii Aldejoburgo, quod antiſſimum Roſſiæ fuerat emporium (k), Pereslaviani trans-



transtulit, hujus mutationis talem interferens causam: *Hæc sedes mea in medio regnorum meorum: ex Græcia ad me adferuntur Panodochi, aurum, argentum, vinum, variique fructus: ex Hungaria argentum & equi: ex Russia Schora, cera, mel, servi*(1). Ad longinqua hæc commercia exercenda partim spes lucri Rossos invitavit, partim etiam pectora ipsorum vellicabat consuetudo veterum Gothorum, cum quibus non simplici modo ea tempestate per fœdera fuerunt conjuncti, & qui longe ante lucem Evangelii in nostris oris accensam, commercia per totum ferme orbem exercuerunt(m). Merces vero, quas ex aliis terris domum referebant, non omnes sibi reservarunt veteres Rossi, sed aliis nationibus vendiderunt. Hinc in annalibus reperimus, quod cum Septentrionalibus populis, Svecis videlicet, Danis ac Norvægis crebras mercium permutationes habuerint. Quamobrem apud Auctores mentio passim injicitur tam Novogardensium(n), quam præcipue Holmgardicorum mercatorum (*Holmgarda Kaupmannum*) (o), qui ad Scandinaviam suas subinde transmiserunt merces? Atque cum Gothlandiæ civitas, *Wisbya*, amplissima mercatura adeo quondam floreret, ut *Arctoa Alexandria* haberi posset, factum est, ut cum aliæ tum quoque Rossorum naves ad dictam urbem magno numero quotannis confluerent(q). Faciles vero largimur, Rossos ex commerciis suis non tantos tunc percepisse fructus, quantos haurire potuissent, si mercandi artem penitus calluissent. Procul dubio enim Lubecenses non minus cum Rossia quam totius Scandinaviæ opum dispendio suas diu auxerunt divitias. Constat enim, quod quum Svethiæ Princeps ERICUS, MAGNI LADULASES filius, per totam fere Germaniam profectus fuisset, atque in itinere Lubecam divertisset, cives hujus urbis magnifice adeo illum exceperint, atque illi adeo adblanditi fu-



erint, ut in Svethiam reverfus, precibus illorum fit suffragatus, atque litteris e monasterio Varnhæmenfi die 15 Augufti An. 1312 datis, Lubecenfibus potestatem concefferit, commercia usque ad urbem Novogardiam exercendi; quod privilegium mercatoria hæc Societas ducentis annis post tempore videlicet Svethiæ Regis GUSTAVI 1:mi iterum iterumque urgere non intermiffit (q). Præterea commoditas portus veteris *Sigtuna* & mercium heic venalium copia Mercatores Roslicos sæpius ad se allexit (r). Quam ita Roslicarum navium vela per maria & lacus Septemtrionis passim volitarent, haud credendum est, aliarum gentium mercatores domi sedisse & segni otio vitam transegisse. Longe aliud docent antiqua monumenta, quæ perhibent, alios aliosque populos oppida Rosliæ sæpius adpulisse, & pretiosas hinc merces domum secum advexisse. Imprimis constat, quod GUDLEIKIUS GERSKIUS, ex Agdiis in Norvagia oriundus, qui mercium permutandarum causâ in diversas proficiscebatur regiones, in Rosliam navibus suis sæpe penetraverit; quam ob causam GUDLEIKIUS GERSKIUS seu GARDARICIUS cognominatus fuit. Hic rogatu Norvagiæ regis OLAVI CRASSI, ut pretiosam sibi supellectilem quæreret, textum auro distinctum pro regali amiculo, pellesque eximias ac raram supellectilem ipsi comparavit: domum autem revertenti GUDLEIKIO, pretiosas has menses eripuit Svecus quidam THORGAUTURUS SKARDIUS, qui post ancipitem pugnam GUDLEIKIUM interfecit; sed qui cruenta hac victoria non diu fruebatur. Thorgauturo enim, de pretiosa hac præda ovanti, alius supervenit Norvagus EIVINDUS URARHORN prope Oelandiam, atque merces GUDLEIKII, occiso THORGAUTURO, recepit (s). Cujus generis hæc fuerint vestes, ex Roslia adjectæ, inquirere jam non vacat, sufficiat solummodo

monuisse, quod quum acutissimi viri observaverint; frequentem fieri mentionem textorum ex serico confectorum & in Rossia olim venalium, in illam inciderint opinionem, quod SERES, gens quondam celebratissima, in hisce oris penates suos constituerint(*t*). Immo præter GUDLEIKIUM HELGERUS BOGRANSONIUS, itidem Norvagus, cum pluribus aliis ejusdem nationis mercaturam in Bjarmia seu Permia, Rossia provincia maxime boreali(*u*) An. 1216 circiter exercuit. Verum quum in inimicitiam regis Bjarmia incidisset, ipse una cum sociis trucidatus fuit. Cognita autem Helgeri hujus morte, Norvagi quidam ANDREAS SKJOLDERBRAND & IVARUS UDVIG, quatuor instructis navigiis in Bjarmiam sunt profecti, atque hujus civium sanguine manibus suorum popularium parentarunt, nec non multas easdemque pretiosissimas pelles inde secum in Norvagam reportarunt(*v*). Posthæc rarior in annalibus fit mentio mercatorum Rossicorum usque ad medium ferme sæculi decimifexti, qua tempestate, commissis inter se bello maris Balthici accolis, cursumque consuetum commerciorum sufflaminantibus, mercurialis Anglorum solertia sub Rege EDVARDO VI. in Moschovitica maris albi littora feliciter prima enavigavit, simulque a Czaro JOHANNE BASILEVITSCH immunitatem sine magno portorio per Rossiam negotiandi impetravit. Quam quum Czarus ALEXIUS MICHAELVITSCH, audito Anglos regem suum CAROLUM I. trucidasse, eisdem ademisset, postea tamen, sed aliquanto arctiorem, restituit(*w*).

---

(a) Vid. *Histor. Naturalis Libr. XXXI Cap. II.* (b) Confr. T. S. BATERUM in *Actis Petropolitans Tom. IX. p. m. 329.* (c) Vid. JOH. STRAHLENBERG in *Libr. Nord- und Ost-Theil von Europa p. m. 417. & 418.* cui addatur etjam Auctor Libri *Daß Veränderte*



*änderte Rußland p. m. 431 & 432. (d) Dan tina wår weyr om Ryzaland  
 oc Griklaud fara til Jerusaleu, h. e. Hierosolymam profecturi tunc trans-  
 ibant per Rossiam & Græciam, vid Gothlands Lagen p. m. 51. (e)  
 Vid. HERVARAE Histor. & Notas OLAVI VERELII p. m. 47. & 48.  
 (f) Confr. FLAVIUM JOSEPHUM contra APPIUM Libr. I.;  
 STRABONEM in Geographiæ Libr. I. nec non E. J. BJOERNER-  
 RUM in introductione ad antiquitates Hyperboræas p. m. 100. (g)  
 Vid. OLAVI RUDBECKII Atlanticae Tom. III. p. 385 & seqq.  
 item Rev. Archi-Ep. BENZELII collegium antiquitatum Sviogothi-  
 carum Cap. I. & 5. (h) Vid. E. J. BJOERNERI descriptionem  
 Gothunheimiæ p. m. 83. (i) Perhibet hoc ipsum R. BENIAMIN Tudensis,  
 sæculi duodecimi Scriptor, qui in itinerario suo commercia ALEXANDRI-  
 NA hoc modo celebrat: Regio hæc commerciiis frequentata, omnium  
 populorum est negotiatrix, & ex solo Imperio Edom (CHRISTIANO-  
 RUM) ALEXANDRIAM adventant e regionibus Valentia, Toscanæ,  
 Longobardiæ, Apuliæ, Malchi, Sicilia, Cracoviæ, Cordubæ, Hispani-  
 æ, Rossie, Germaniæ, Schvesniæ (Svethiæ), Danemarchiæ, Gelatæ  
 (Islandiæ), Flandriæ &c. Depromimus isthoc testimonium ex D. D.  
 OLAVI CELSI differt. de Lingua & eruditione Arabum, quam  
 Præfide GUSTAVO PERINGER-LILJEBLAD An. 1694 Upsa-  
 liæ edidit: (k) Confr. STRAHLENBERGI Libr. ante cit. p. 95. i-  
 tem HENRICI BANGERI Observationes in HELMOLDI chro-  
 nicon Slavorum p. m. 31. (l) Vid. HERBERSTEINI Commentarium  
 rerum Moschovitarum p. 3. & 4. (m) Confr. J. STENBECKI dis-  
 sert. de meritis Scandianorum in commercia & navigationem sub Præ-  
 sidio Cel. Prof. & Cancellariæ Consil. S. BRING habitam passim. (n) Vid.  
 SAVARY daas son parfait Negotiant sub voce Novogorod. (o) Vid.  
 OLAVI BENZELII differt. de commerciiis Sviouum p. 75. Upsaliæ edi-  
 tam, nec non citatam OLAVI TRYGGWASSONI Historiam, in qua  
 hæc leguntur verba: *Eun er dau haufðu verit tua vetur med HAKO-  
 NI Gamla da bio han ferd deira vefsamliga, oc fer-daug i hender  
 kaupmannum, dem er foro atla i Garda Austr. h. e. Cum per duos  
 annos apud Haquinum Annosum commoratus fuisset, itineri omnibus  
 magnifice præparatis, Socios illos mercatoribus in Gardariciam profec-  
 turis dedit. (p) Ita enim OLAVUS MAGNUS de gentibus Septem-  
 trionalibus Libr. 2. Cap. 24. p. m. 73. confluxere illuc, inquit, Gothi,  
 Svedi, Russi seu Rutheni, Dani, Preussi, Angli, Schoti, Galli, Flan-  
 dri, Fenni, Vandali, Saxones, Hispani: Singula gentes suos proprios  
 vicos & plateas incolentes. His non multum dissimilia legimus apud  
 JOH. NIC. STRELOW in Chronico Guthilandia p. m. 121. quibus  
 addatur utroque horum Scriptorum antiquior ALBERTUS KRANT-  
 ZIUS**



*ZIUS* in sua *Vandalia* Libr. 2. Cap. 20. p. 38. (g) Confr. omnino Nob. DALINI *Historiam Svethæ* Tom. II. p. m. 382. (r) Multa huc spectantia habet Rev. WALLIN in dissertatione sua de *Sigtuna flante & cadente ætate* 2 (s) Vid. STURLONIDIS *Heimskringla* Tom. I. p. m. 448. (t) Nullam fere gentem invenire licet, quæ propter dissensum Auctorum toties sedes mutare fuit coacta, quam SERES. Hinc CELLARIUS in sua *Geographia antiqua* Libr. III. Cap. 24. Alii, inquit, ut in Scythiis, ita etiam in Seribus locandis mire variarunt. Multi Historici cum putarent, nomen vetusti hujus populi a *Serico* seu bombycinis textis esse repetendum, & simul sibi perspectum haberent, imperium Chinensibus his mercibus, præ multis orientis terris abundare, oppido concluderunt, Chinam fuisse veram Serum patriam. Sed mittamus has nimis præcipitatas opiniones & conjecturas, præsertim quum Historici optimæ notæ meliora nos doceant. Profecto PLINIUS Seres cum Thracibus conjungit. *Quid Thraces, inquit: Quid Seres faciunt?* Unde patet hos, immensi terrarum intervallo a Chinensibus fuisse distitos. Postmodum vero magis versus septentrionem perrexerunt; quamobrem JORNANDES in Libro de *rebus Geticis* perhibet, SERES in terris polo arctico vicinis habitasse. Dubium heic quisquam movere posset, cur a Serico Rossie incolæ fuerint subinde vocati, quum bombyces per Septentrionem olim æque ac hodie sint rarissimi. Nisi admodum fallimur, texta *Asbestina*, quæ in Rossia, præsertim in Siberia ingenti quondam copia conficiebantur, quorumque usus, dum mortuorum cremabantur corpora, indispensabilis erat, cum SERICIS confundebantur, & gentis denominationi occasionem præbebant. Certe JOHAN KYRILLOW. memoriæ prodit, montes *Tobolsko*, Asbestum ferentes, dictos esse *Schekova-gora* id est montes Sericeos, ipsum vero Amianthum *Kammeni-Scheklek* h. e. lapidem sericum nuncupatum, quia fila istius lapidis incolæ serica crediderunt. Vid. CHRIST. SCHÖETIGENII *Tract. de Tobolskium Originibus* p. m. 6. 7. Perhibet etiam MARCUS PAULUS Venetus in *Libr. de regionibus Orientis* in quadam Siberie provincia *Chinchintalas* suo adhuc tempore, vixit autem sæculo XIII, linum Asbestinum fuisse confectum. Cui nostra, quam exposuimus, opinio minus arrideat, adsumat sententiam Nob. STRAHLENBERGI in *Libr. cit.* p. 9. & 97. qui SERES nomen solummodo appellativam fuisse statuit, denotans in lingua Usbeckensi gentem quamlibet commercia exercentem. De Seribus conferri possunt VIRGILIUS *Libr. II. Georg. v. 121.* & SIDONIUS APOLLINARIS in *Panegyrico Majorani v. 43.* (u) Præter Aldejoburgum, præcipuum veteris Rossie emporium & Novogardiam celebratur quoque urbs Bjarmie Tzordyn

Tzordyn ad fluvium Kama, quæ quamvis nunc exigua, olim tamem a Rossis *Weliki-Perma* i. e. magna Permia dicta Vid. STRAHLENBERGI *Libr. cit. p. m. 96*. Similiter refert Historia *OLAVI SANCTI Cap. CXXIII. edit. Vifingsb.* quod CAROLUS, THORE HUND & GUNSTENUS ex Hologalandia in Bjarmiam vecti, ad emporium quoddam (*Kjöp-Stad*) substituerint, illincque amne Vena (Divina) secundo decedentes, DEO tumulisque Bjarmensium spoliatis, in Gardariciam pervenerint. (v) Confr. *PETRI CLAUDII Historiam Norvagiæ p. m. 162 & 163.* (w) Vid. *REUTENFELSII Libr. cit. p. m. 167.*

§. VII.

Quandoquidem vero de commerciis veterum Rossorum nunc agimus, nec silentio prorsus prætereundi sunt veteres Esthones, quippe qui & Rossorum imperio & generali horum appellatione fuerunt comprehensi. Esthones autem diversis insigniuntur nominibus. In vetustis enim annalibus Gothicis Esthonia modo EYS-SLO (a); modo iterum *Austerlandia* nuncupatur, quod nomen ad naturam Lingvæ Latinæ emollitum, est *Austravia* (b), modo quoque *Gleffaria* (c) nec non a Fennis nostris subinde *Wira-maa*, sumta, uti videtur, denominationis ratione ex proxime adjacente provincia *Wirrlandia* (d). Ipsi autem Esthones a PYTHIA appellantur *Ostai* (e), a STEPHANO *Ostiones*, a VOPISCO *Austro-gothi* (f) a IORNANDE *itemesti* (g) Hi proficuum inde ab antiquissimis temporibus exercuerunt mercaturam cum Succino, quod in littora ipsorum olim copiosius, quam nostro ævo ejecerunt fluctus marini (h): ut alias Esthoniae merces nunc reticeamus.

---

(a) Vid. STURLONIDIS *Heimkringla Tom. I. p. 380.* (b) Vid. PLINII *Histor. Natur. Libr. XIII. C. 3.* (c) Vid. PLINII *Libr. cit.* (d) Vid. THOMÆ HJÆRNES *Est-Liff-och Lättländska beskrifning* apud STRAHLENBERG in *Libr. nominat. p. 33.* (e) Vid. STRABONIS *Geographiam.* (f) Vid. HUGONIS GROTHII *Prolegomena*



*menta ad Histor. Gothorum, Vandalorum & Longobardorum p. m. 9.*  
 (g) JORNANDES in *Libr. de rebus Geticis Cap. 5.* Ad littus, inquit,  
 Oceani, ubi tribus faucibus fluente Vistulæ fluminis eibuntur, Viri-  
 dioarii resident, ex diversis nationibus aggregati: post quos ripam te-  
 nent *Itemesti*, pacatum hominis genus omnino. Vox *Itemesti* fenicam  
 sapit originem, descenditque nomen ab *ita*, quod Orientalem denotat  
 plagam, & *Mies*, seu ut Esthones pronunciant, *Mes*, quod significat  
 virum; adeoque *Itemies* idem est, quod Gothorum *AUSTERMAN*  
 seu *OSTERMAN*, Vir Orientalem terram incolens, & *Itemesti-maa*  
 est patria Esthonorum seu populorum Orientalium. (h) Succinum Græ-  
 cis *Elektrum*, de quo VIRGILIUS *Ecol. VIII. v. 54.* *Pinguis cor-*  
*tibus sudent Elektra myricæ*, Veteres Germani sua lingua *Glessum*  
 appellarunt, quod quum prope Esthoniæ magna copia inveniretur,  
 mirum certe non est, a præstantissimo hoc Naturæ munere integrum  
 cognominatam fuisse provinciam. Vid. *PLINII Libr. cit. item SO-*  
*LINI Polyhistor. Libr. III, Cap. 20.* Profecto TACITUS in *libro*  
*de Germania Cap. XLV,* observat *Succinum* præcipue in Esthonia re-  
 periri, quod nec dissententur Esthones in sua *Epistola ad regem Go-*  
*thorum THEODORICUM scripta.*

§. VIII.

Hæc sunt pauca illa, quæ de commerciis veterum  
 Rossorum, facem nobis utcumque creperam præferenti-  
 bus Historiarum monumentis, hoc tempore colligere  
 potuimus & in publicam lucem emittere. Sunt eadem  
 & nostris votis & exspectatione B. Lectoris inferiora,  
 talia tamen, qualia præsentis argumenti habitus ferat.  
 At quam dispar jam commerciorum gentis nostræ ra-  
 tio. Profecto si veteres Rossi nunc marcida e tymbis  
 extollerent capita, si viderent, ingentes navium classes nunc  
 Petropoli, nunc Cronstadio, nunc Archangelopoli aliis-  
 que Rossici imperii portibus continuo ad stuporem to-  
 tius Europæ tam in honorem & salutem gentis, quam  
 ad commercia in majus provehenda erumpentes & sub  
 auspiciis Augustissimæ ac Potentissimæ IMPERATRICES  
 CA-



**CATHARINÆ** II per cuncta maria fortitudinis ac singularis industriæ miracula relinquere, se quidem felices, at nos felicissimos judicarent, aureoque nostro sæculo impense gratularentur.

---

Min Kjårafte **BRODER,**

**D**et nära blodsband, hvarmed naturen oss förenadt, drifver mig vid detta tillfälle, då du, Min **BROR,** är sinnad utgifva Ditt första Academiska arbete, at med dessa få rader yttra min glädje, hvilken intet längre inom mitt innes tränga gränser kan fångslas. At säga något til Ditt välförtjenta beröm, tillåter mig ej min insikt uti de Lärdsas snälle-yrken; hvarföre jag endast önskar Dig så mycken lycka och framgång i allt Ditt företagande, som svarar emot Din flit och min ömhet för Dig. Sker detta, så får Du, Min **BROR,** på Dygdens och Årans väg til alles vår sågnad snart skörda den frukt för Ditt arbete, som gör Din lefnad beqvämlig och förnöjsam. Jag är

DIN

Willmanstrand  
den 10. November

1770.

Trogna Bror  
**GEORG GJÖS.**